



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Scala Jacob**

**Lindeborn, Jan**

**Antverpiæ, 1666**

§. 9. De Jacob admirabundo visa scala. Quo monetur Virgo ut sit exemplaris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49085](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49085)



ante è cœlo decidisse dicebam, quique nostris dele-  
 ,, ctantur malis, sed bonos: ,, Scurrilitas atque la-  
 ,, scivia te præsentem non habeant locum: nunquam  
 ,, verbum inhonestum audias, aut si audieris, non  
 ,, inesceris: (Virgini præscribit S. Hieronymus) ri-  
 ,, dere & rideri secularibus derelinque, gravitas tuam  
 ,, personam decet. Audite hæc quæ chorum ducitis  
 & subinde Capitaneæ: Angeli ad solutos mores non  
 excitant, sed ab iis suas absterrent, modestiam, pie-  
 tatem aliasque virtutes inculcant, quibus non dissol-  
 vatur animus, sed Deo arctius astringatur: idem fa-  
 cite & vos: *Virgo* namque ex præscripto Apostoli, <sup>1 Cor. 7:</sup>  
*cogitat quæ Domini sunt*: Lampades vestræ ardeant <sup>38.</sup>  
 & luceant, & vestris præferantur ut ad Sponsum ani-  
 marum omnium perducantur.

Epist. 8. ad  
Demetr.

## §. I X.

## De Iacob admirabundo visâ Scalâ.

**Q**uid Iacob visâ Scalâ, visisque Angelis *evigilans*  
 adumbret, §. superiori audivimus: nunc quid  
 idem admirabundus & encomiastes designet confi-  
 derandum: *Non est hîc aliud nisi domus Dei & porta* <sup>Gen. 28:</sup>  
*cœli*. Quid hinc Virgo deducat? eam nempe debere <sup>17.</sup>  
 esse suam conversationem, ut Status Virginalis à se-  
 cularibus non vilipendatur, sed magni fiat & com-  
 ,, mendetur: ,, Bona quippe domus in ipso vestibulo  
 ,, debet agnosci, ac primo præterdat ingressu, nihil  
 ,, intus latere tenebrarum, & mens nostra multis re-  
 ,, pagulis corporalibus impedita tanquam lucernæ  
 ,, lux intus posita foris luceat, ex præscripto S. Am- <sup>L. 2:</sup>



brofii pro Virginibus. Cumque, quibus hoc evincam, argumenta conciperem, visum unum illud abundè sufficiens derivatum ex ipsa Status Virginalis natura, quod suggessit Apostolus, qui licet omnibus omnia fuerit factus, omniumque peripsa, tamen protestatur *ministerium meum honorificabo*, id est, cum Christi ministrum me agnoscam ejusque me agere personam, talem me exhibebo, ne quid in me, quod culpet, inveniatur, utpote conscius redundaturum in infamiam Christi, quicquid in me culpabitur: ut ergo Apostolus ex natura suæ vocationis & ministerii agnoscit suæ conversationis idæam; ita urgeo ut ex eadem eandem Virgo agnoscat, & ut agnoscat utilis hæc gradatio: viro prænobili nubat ab eo adamata Virgo mendica, nupta certè non jam ampliùs in conversatione & habitu mendicam præferet, sed nobilem: eadem nubat Comiti, Comitissam se exhibebit: Regi tandem & Imperatori, Reginam & Imperatricem sese ostendet necesse est. Quales filiae meæ fuistis vos quando ex utero materno prodiistis? nonne mendicæ Deique gratiâ indigæ? Quis dubitet cum prima Parochi quæstio fuerit quando ad baptismum oblatae estis, quid peteretis? petiistis tum, vel nomine vestro Patrini, recipi vos in familiam Christi: receptæ estis: *Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis*: Ideoque in tali familia juxta Domini præscriptum providè & inculpabiliter conversandum: quo ferè solo fundamento innititur Apostolus Christianis persuasurus strenuum Dei atque virtutis cultum: *Obsecro ego vincetus in Domino, ut dignè ambuletis vocatione, quâ vocati estis*. Nec solum in famulas estis receptæ, sed & electæ in Sponsas, non

1 Cor. 9:

22.

1 Cor. 4:

13.

Rom. 11:

13.

Ex Rituali Romano.

Gal. 3.27.

Eph. 4.4.

Do-



Domini alicujus, non Principis, neque Regis aut Imperatoris terreni, sed Regis Regum, & Domini dominantium. Quid autem inde concludendum ipsæmet jam videtis: nonne non jam amplius pristinis vestris centonibus, vitiis putà & imperfectionibus debere vos involvi? nonne non jam amplius ut famulas Deo deservire communi Christianorum vita, at vestro Statui respondere, & ut eminentis dignitate vocationis, ita etiam eximias esse sollicitudine conversationis, *Virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit* I Cor. 7: 38. *sancta corpore & spiritu: hæc Virginis debet esse cogitatio, & cura. Non enim placet Deo, ex S. Ambrosio, quam non suorum gravitas morum probat. Aliàs* L. 8. Epist. 64. *habitu Virgo, ex eodem Antistite, facta non Virgo. Qui & alibi addit, Virginem mihi prius sua gravitas nuntiet pudore obvio, gradu sobrio, vultu modesto, & prænuntia integritatis ante-eant signa virtutis: non satis probabilis Virgo est, quæ requiritur cum videtur.*

Vultis argumenti hujus ulteriorem confirmationem? licet eam à Secularibus petere: quod namque eorum judicium, si Virginem videant modestiæ oblitam dissolutiùs agere? audientur effutire, hocine est Klopparum? & cur hoc? nisi quia ex dignitate Vocationis derivant, ratione duce, formam conversationis?

Audite hæc, quæ quandoque minùs cautâ conversatione scandalum aliis præbetis, & obrectationis materiam, non vobis solis nocivæ, sed & ipsum Statum infamantes: „Sanctum Virginum propo-„ fitum, & cœlestis Angelorumque familiæ gloriam „ quarundam non benè se agentium nomen infamat „ teste D. Hieronymo. Ea etenim multorum igno-„ rantia

*Epist. ad Demetr.*



*Epist. ad  
Eustoch.*

rantia, ut defectus personarum ipsi Statui, quem profitentur delinquentes, ascribant: non enim ideo conjugium malum, quòd conjugati aliqui malè vivant, ideoque nec culpandus Status Virginum, quòd harum aliqua se irreprehensibiles non exhibeant: quales Sancti Patres Virginibus nolunt accenseri, easque præcitus Hieronymus *infelicem conscientiam mentitâ tantum veste*, scribit, *protegere: & adversus Helvidium*, cùm is inter cætera Virginitatis impugnator, præcipuè autem Deiparæ Virginis, objecisset ei, esse quasdam quæ etiam tabernas frequentarent (non enim negligebant antagonistæ Virginum, propalare quicquid ad earum contemptum & infamiam faciebat, ideoque earum conversationis, quomodo Ecclesiæ Præsules studiosi informatores, erant illi rigidi censores.) „ Quod autem ais (verba sunt S. Hieronymi) quasdam esse Virgines tabernarias, ego „ tibi plùs dico, esse in his & adulteras: & quò magis mireris, Clericos esse caupones, & monachos „ impudicos: sed quis non statim intelligat, nec Tabernariam Virginem, nec adulterum Monachum, „ nec Clericum posse esse cauponem? numquid Virginitatis est culpa, si simulator Virginitatis in crimine „ est? Hæc sanctus Doctor & Virginitatis Advocatus. Cessent itaque in Statum refundere personarum delicta, qui Virgines vult esse sanctas corpore & spiritu: si garrulam videant, Virgines Labbas non clamitent: si nupturientem audiant, ne incontinentes dixerint quousque procos invenerint: non enim Statui ascribendum quod contra Status præscripta committitur. Labet hæc eleganti D. Augustini Apologia concludere quam scripsit ad Hipponenses datâ

occa-



occasione à Presbytero & Clerico, quorum unus al- *Epist. 137*

teri enorme crimen improperebat: „Quantumlibet

„enim vigilet disciplina Domus meæ, homo sum &

„inter homines vivo: nec mihi arrogare audeo, ut

„domus mea melior sit, quàm domus Abraæ, ubi

„dictum est: Ejice ancillam & filium ejus: aut me- *Gen. 21:*

„lior sit quàm domus Isaac, cui de duobus geminis *10.*

„dictum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. *Rom. 9:*

„Aut melior sit quàm domus ipsius Jacob, ubi le- *13.*

„ctum patris filius incestavit. Aut melior sit quàm *Gen. 35:*

„domus ipsius David, cujus filius cum Sorore con- *22.*

„cubuit, cujus alter filius contra patris tam sanctam *2 Reg. 13:*

„mansuetudinem rebellavit. Aut melior quàm co- *14.*

„habitatio ipsius Domini Christi, in qua undecim *2 Reg. 15:*

„boni perfidum & furem Judam toleraverunt. Aut

„melior sit postremò, quàm cælum, unde Angeli *Matt. 26.*

„ceciderunt. Hæc S. Augustinus & plura alia in

posteriori parte citatæ Epistolæ. Ut ergo nullus Sta-

tus immunis à scandalis, nec hæc in ipsum retorquen-

da. Ut ad Virgines redeam, hisce satagendum ne co-

rum occasionem præbeant: quod si neglexerint, gra-

vioribus se peccatis obstrictas norint quàm si eadem

à Secularibus commissa forent: quò enim quisque al-

tior, eò lapsus est gravior: obtinet quidem in

mundo:

*Dat veniam corvis vexat censura columbas:*

sed non apud Deum, cui eò graviora delicta, quò de-

linquentibus amplior grátia facta: turpior enim ma-

cula in panno candido, quàm in sacco fordido: & Cui *Luc. 12:*

*multum datum est, multum quæretur ab eo:* ideoque *48.*

*Si in terra Sanctorum iniqua gessit, non videbit gloriam* *Isai. 26:*

*Domini.* *10.*

Ita-



Itaque, Virgines Dei, Status vestri existimationem Secularibus ingerite, & ut id fiat efficaciter, ipsæmet hanc in vobis fovete: inde namque totius mali origo, quòd Vocationem vestram aut ignoretis, aut non æstimetis. Dei Sponsæ estis, tales vos etiam ostentetis. Alio titulo id inculcant Patres, è quibus

*L. 2. contra Jovinianum. Epist. ad Heronem.* S. Hieronymus: *Virginibus & Continentibus quasi gemmis pulcherrimis Ecclesiæ monile decoratur.* Et Ignatius S. Joannis Discipulus: *Virgines serva ut pretiosa Christi monilia.* Gemmæ & monilia sunt ad ornatum: talis Virgo quælibet esse studeat: ex parte Dei non est defectus impensarum suæ gratiæ, is namque lusores imitatur, quos videmus sæpe, ne perdant, plura perdere: aut qui litigant, quòd plùs vel laboris vel pecuniæ insumpserint, eò plùs incallescere ad insumendum. Neque imputetur Statui, si quæ suæ vocationi defint, quæ eò se graviùs peccare norint, quòd major eis gratia prorogata: *Ipsi cum aliqua maritata invenitur adultera, nec projiciunt uxores suas, nec accusant matres suas,* scitè monet in præcitata apologetica Epistola S. Augustinus: neque est ad infamiam Loth & filiarum quod iis egressis jam è Sodoma, ejus uxor & harum mater respexerit.

*Gen. 19: 26.*